

Nov. 1749 in Segn. Decretorum, ut in thes. resolut.)<sup>a</sup> Secus, si iter fiat ex levitate, et Episcopo insalutato; quo sensu procedit *c. 23 si qui 7. q. 1. et c. 35. d. 5. d. consecr.* Quod si clericus casu aliquo, v. g. per naufragium etc. amiserit dictas litteras, et per testes cum fama communi probaverit suam ordinationem, admitti poterit ad divina celebranda. Solum autem juramentum non sufficit, nisi ad privatim et sine stipendio celebrandum, si nulla sit præsumptio falsitatis; quia tunc, si sacerdos non est, non decipit populum, sed se ipsum (*c. 2. 3. h. t.*) Item circa tales peregrinos observanda sunt statuta particularia cujusque diœcesis.

3.<sup>o</sup> Prælati Ecclesiarum Episcopo subjectarum sine ejus consensu non possunt conferre beneficia Clericis alienæ diœcesis, præsertim curata *c. fn. h. t.*

Postquam compiler egisset de ordinationibus clericorum, et impeditis ordinandorum, transit ad varia clericorum officia, ut Archidiaconi, Archipresbyteri, etc. Quia verò circa hæc officia plerumque attenditur consuetudo Ecclesiarum, et non jus commune, ideò breviter de his agam.

### TITULUS XXIII USQUE AD XXVII.

#### DE OFFICIO ARCHIDIACONI, ARCHIPRESBYTERI, PRIMICERII, SACRISTÆ, ET CUSTODIS. <sup>a</sup>

493. Q. I. *Quid statuatur circa Archidiaconum?*

R. 1.<sup>o</sup> Archidiaconatus de jure communi est prima dignitas post Episcopalem (*cit. c. 1. d. 25 et c. 7. h. t.*); ubi Archidiacono attribuitur jurisdictio pro foro externo. Licet enim Archidiaconus ordine sit inferior Archipresbytero, jurisdictio tamen et dignitate est superior, et ideò dicitur *oculus et vicarius natus* Episcopi, definiturque; persona in ecclesiastica dignitate constituta, vices gerens Episcopi in gubernanda diœcesi, omnemque curam habens circa clericos et eorum Ecclesias (*cit. c. 7 h. t.*) Quo modo differat à Vicario generali Episcopi, infra *tit. 28* dicitur.—2.<sup>o</sup> In Archidiacono, tanquam principe diaconorum requiritur et sufficit ordo Diaconatus: et quia plerumque curam animarum habet in foro externo, requiritur in eo annus vigessimus quintus inchoatus, et scientia eminens magistri in Sac. Theologia, vel Sac. Cann. (Trid. *Sess. 24. c. 12 de ref.*)—3.<sup>o</sup> Officium et potestas illius describitur *c. 1 et seqq. h. t.*; causæ autem graviores subductæ sunt ei, et attributæ Episcopo per Trid. (*Sess. 23. c. 3, 18, 20, et Sess. 24. c. 5 de refor.*), ut visitare diœcesim, examinare ordi-

<sup>a</sup>—Agitur de Archidiacono in Decreto *c. 1. d. 25. §. ab Archidiacono c. 8. d. 74 et c. fn. d. 94*—de Archipresbytero *c. 1. d. 25. §. Archipresbyter vero*,—de Primicerio *ibid. et c. 1. d. 21 et d. 91*—de Sacrista *cit. c. 1. d. 25*—de Custode *d. 93*

andos, judicare causas beneficiales, matrimoniales, concubinas, et alias criminales.—Hodiè in quibusdam cathedralibus nec nomen est Archidiaconi: alicubi nomen quidem est, sed non dignitas cum potestate et jurisdictione.

194. Q. II. *Quid statuatur circa Archipresbyterum?*

R. 1.<sup>o</sup> Archipresbyter, seu princeps sacerdotum de jure communi est, qui regit ceteros presbyteros in his, quæ sunt sacerdotalis officii (*c. 1 h. t.*). Aliter vocatur *decanus*: et quidem in Ecclesia cathedrali vel collegiata est *decanus urbanus*, seu *civitatensis*, qui præest clericis et parochis in civitate existentibus; extrà verò est *decanus ruralis*, seu *foraneus*, qui præest clericis extra civitatem Episcopalem degentibus.—2.<sup>o</sup> Archipresbyteratus, seu decanatus non est dignitas propriè talis, cum ei non sit annexa jurisdictionis fori externi. Quæ verò sit potestas et officium Archipresbyteri consulenda est consuetudo locorum: quid autem possit et debeat de jure communi habetur *c. 1 et seqq. h. t.*

195. Q. III. *Quid statuatur circa Primicerium?*

R. Primicerius, primus in cera seu tabula cerata inscribi solitus, est cantor, qui præest diaconis et inferioribus clericis in docendo, cantando, et lectiones assignando.—Aliter vocatur *Scholasticus*, qui dignitatem propriè non habet cum jurisdictione fori externi, sed quamdam præeminentiam cum administratione et correctione (*c. 1 h. t.*)

196. Q. IV. *Quid statuatur circa Sacristam, seu Thesaurarium?*

R. Sacrista est, qui immediatam curam habet sacri thesauri, ut calicum, candelabrorum etc. (*cap. un. h. t.*) De jure communi obtinet purum officium sine ulla jurisdictione et præeminentia.

197. Q. V. *Quid statuatur circa Custodem?*

R. Custos est quasi minister sacristæ, cujus officium est custodire utensilia ecclesiæ, dare signum pro divinis officiis, panem et vinum, et alia ad altaris ministerium parare (*c. 2. h. t.*) Hodiè officium custodis majori ex parte translatum est in aedituos.

### TITULUS XXVIII.

#### DE OFFICIO VICARII. <sup>a</sup>

198. Nota I. *Vicarium* in divinis et beneficiis esse illum, qui in cura animarum ac divinis ministeriis vices alterius gerit. Et hic, vel est *perpetuus*, qui canonicè instituitur in aliqua ecclesia, assignata sibi congrua portione

<sup>a</sup>—De Vicario Parochi, et Papæ agitur *h. t.*, de Vicario generali Episcopi *h. t. in Sexto*.—Item in Decreto *Can. 22. in nona 16. q. 7. et sparsum in d. 93. et 94.*—In Trid. *S. 6. c. 2. S. 7. c. 5. S. 21. c. 6. S. 23. c. 16. de refor.* ubi de Vicariis paroch. et *S. 24. c. 16. et 18. de refer.* ubi de Vicar. Episc. capituli, et paroch.

quasi in titulum, seu pro semper, ut ad libitum et extra casus à jure expressos indè amoveri nequeat: vel est *temporalis*, qui constituitur ad tempus, ità ut ad nutum constituentis amoveri possit.

*Nota II. Vicarium jurisdictionis* in genere esse illum, cui commissa est jurisdictio. Et, omissis aliis vicariis, hic agitur de Vicario Episcopi, qui duplex est. *Natus*, qui ex dispositione juris constituitur, et quasi nascitur talis, hoc ipso quod creetur in certo officio, uti est Archidiaconus, attento jure communi. *Datus*, qui liberè ab Ordinario constituitur.—*Vicarii dati* sunt in duplici classe; alii, qui accipiunt ab Ordinario jurisdictionem diversam, et tamèn subordinatam; et hi propriè dicuntur delegati Episcopi; ut si Vicario foraneo aliqua jurisdictio committatur. Alii, qui accipiunt jurisdictionem eandem cum jurisdictione Episcopi, modo tamèn limitato, et cum dependentia ab Episcopo; et hi dicuntur *Vicarii generales*: et quidèm, si vices gerunt in temporalibus tantùm, dicuntur specificè *economici*, vel *administratores*, vel cum addito *Vicarii in temporalibus*; si vices gerunt tantùm in spiritualibus, dicuntur cum addito *Vicarii generales in spiritualibus*: et ultra montes de stylo curiæ Rom. vocantur *officiales Episcopi*: si verò vices gerant in spiritualibus et temporalibus simul, dicuntur sine addito *Vicarii generales*.—Præter hos solet quandoque Episcopus habere *Vicarium in pontificalibus*, qui loco Episcopi actus pontificales exercet, ordinando clericos etc. et vulgò dicitur *suffraganeus*: sed hic per se nullam jurisdictionem habet, nisi simul sit Vicarius generalis in spiritualibus, ut plerùmque esse solet.—Differunt autèm Archidiaconus et Vicarius generalis; nam Archidiaconus est Vicarius Episcopi natus, intitulatus et perpetuus, habetque jurisdictionem diversam, ità ut à tribunali ejus appelletur ad Episcopum; econtrà Vicarius generalis est Vicarius Episcopi datus, temporalis, ad placitum amovibilis, habetque eandem jurisdictionem cum Episcopo, licèt modo limitato, ità ut ab illo appellari non possit ad Episcopum, ut suis locis dicitur.

499. Q. I. *Quid juris circa Vicarium perpetuum parochialem?*

R. 1.º Ex justa causa constitui potest Vicarius perpetuus; ut si ecclesia unita est alteri principali, dignitati, collegio vel alteri universitati; vel si rector per se ipsum non potest administrare, aut non decet, ut si Episcopatu unita esset pinguis parochia.—2.º Vicarius nominandus est à rectore principali, et si est beneficium patronatum, de consensu patroni, (c. 4. h. t.); et quidèm, si ecclesia parochialis perpetuò annexa est monasteriis, capitulis, et aliis piis locis, regulariter nominandus et præficiendus est Vicarius perpetuus (c. 30 §. qui vero de præb.); nisi Episcopus judicaret potius perficiendum esse temporaneum, vel nisi ecclesia unita esset monasterio pleno jure quoad spiritualia et temporalia, vel nisi antehac ecclesia administrata semper fuisset per Regulares; tunc enim præfici possent Vicarii regg. ad tempus, (Trid. sess. 7. c. 7. de reform. Const. S. Pii incip. Ad exequendum, in fin.)—3.º Rectori principali, et non Vicario, incumbit externa defensio ecclesiæ, vindicatio jurium parochialium, fabricæ reparatio, administratio vicariæ, si ista vacet per mortem, vel resignationem etc.—4.º In aliis ferè omnibus Vicarius perpetuus æquiparatur parochi: et

ideò instituitur ab Episcopo (c. 3. h. t.), acquirit jus reale, seu titulum, non quidèm *directum*, qui est penes rectorem principalem, sed *utilem*, seu quasi titulum portionis sibi assignatæ: curam parochialem liberè exercet, ut non audeat se rector intromiscere, cum non sit actu, sed habitu parochus; substituere sibi potest Vicarium ad tempus, non in perpetuum (cap. 4. h. t.), ne duo Vicarii perpetui sint in eodem beneficio. Expirat officium Vicarii perpetui morte ejus, vel resignatione, vel depositione.

200. Q. II. *Quid juris circa Vicarium temporaneum?*

R. 1.º Constitui potest ex justa causa, ut si Ecclesia vacet per obitum rectoris, vel si rector ob aliqua impedimenta, ut negotia, studia, infirmitatem etc., non possit Ecclesiam administrare. Et quidèm, ipse parochus ad breve tempus unius, vel alterius septimanæ constituere potest Vicarium idoneum; pro longiori autèm tempore requiritur consensus Ordinarii, (Trid. S. 23. c. 4. de reform.)—2.º Vicario temporaneo competit potestas curæ parochialis quasi ordinaria, licèt multùm similis sit delegatæ ad universitatem causarum: et ideò totam hanc potestatem non potest alteri committere, nisi hoc consuetudo vel speciale, mandatum permittat, benè verò unum vel alterum actum coadjutori delegare potest.—3.º Expirat officium vicarii temporanei revocatione, itèm morte rectoris principalis, vel alio modo inducente vacationem; vel si ipse vicarius renuntiet suo officio: undè post mortem rectoris non potest administrare, nisi licentiam Ordinarii habeat, vel nisi consuetudo id permittat pro interim, donec de alio Vicario provisum fuerit.

201. Q. III. *Quid juris circa Vicarium generalem in spiritualibus?*

R. 1.º Hic liberè constituitur ab Episcopo cum, vel sine consensu capituli; nisi diocesis esset ampla; tunc enim Episcopus ad facilius expedienda negotia, teneretur unum, vel plures Vicarios constituere. Barbos.—2.º Vicarii qualitates sunt: ut sit Clericus saltèm primò tonsuratus, secularis, vel regularis, exceptis mendicantibus (per Clem. 4. de Regg.), ætatis annorum 25 inchoatorum, cum hos dignitas ejus et jurisdictio exposcat, ut aliàs dictum (tit. de ætate.); pietate, scientia doctorali, et usu rerum idoneus, non conjugatus, non bigamus, et qui residere possit in civitate, aut loco sedis episcopalis.—3.º Potestas illius extendit se ad omnia negotia substrata jurisdictioni episcopali, exceptis gravioribus, quæ speciale mandatum requirunt (cap. 2. et fin h. t. in 6.), uti sunt dare dimisorias pro ordinibus, conferre beneficia liberæ collationis ad Episcopum spectantia, admittere resignationes beneficiorum, ecclesias unire, dividere, transferre, erigere; dispensare in irregularitatibus, votis, juramentis, observatione festorum, jejuniorum, statutorum diœcesanorum, absolvere à censuris, vel casibus Episcopo reservatis; gerere negotia ardua, ut visitare diœcesim, convocare synodum, tractare causas feudales, et criminales majores, restituere in integrum etc., hæc enim, et his similia specialiter reservata sunt Episcopo, licèt de consuetudine præsertim Germaniæ multa ex his possit Vicarius generalis; ut cognoscere causas matrimoniales, dispensare in denuntiationibus, observantia festorum, jejuniorum etc. Quòd si in mandato generali exprimat aliqua causa specialis cum clausula: et

*omnia alia, quæ speciale mandatum requirunt, vi hujus clausulæ non potest majora expressis, sed vel æqualia, vel minora (arg. cap. 13. de ref. Clem. 2. de Procur.); nam per reg. 81. in. 6. in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus.*

• Potest etiã, impedito Episcopo, de speciali ejus mandato celebrare synodum, (ut probat Fagn. ex decr. Cong. Conc. cap. *Sicut olim* de accusat, n. 10. et 11.), ubi tam præsentem, quàm absentem Episcopo omnes præcedit indutus vestibus, quibus per urbem incedit, si non est Protonotarius Apost., tunc enim uti debet vestibus huic muneri propriis. (Bened. XIV. lib. III. de synodo diæc. cap. 10. n. 2.)\*\*

202. Q. IV. *An potestas, seu jurisdictio Vicarii generalis sit ordinaria?*

Alciatus, Sot. Gomez. et alii dicunt esse delegatam, sed cum communiore:

R. Affirmativè: nam jurisdictio à lege, vel canone, ratione proprii officii descendens, est ordinaria (l. 5. et 6. ff. de jurisd.); sed jurisdictio Vicarii generalis ratione proprii officii descendit ex canone, puta ex c. 2. h. t. in 6. Licet enim Episcopus nomet et determinet personam, tamen non ille, sed jus ipsum dat ei jurisdictionem, ergo: tum quia Episcopi, et Vicarii idem est auditorium, seu tribunal, et ideo à Vicario non appellatur ad Episcopum (c. 2. de consuet. in 6.), ne ab eodem ad se ipsum appellatio interposita videatur; ergo utriusque eadem est jurisdictio ordinaria, modo tamen diverso: quia in Episcopo est principaliter et illimitatè quoad suam diæcesim, in Vicario autem est limitatè et dependenter ab Episcopo; et propterea sublata jurisdictione Episcopi tollitur etiã jurisdictio Vicarii, utpotè eadem. Ex his soluta manent c. 9. de prob. de jurisd. duorum in solidum, Can. 33. caus. 2. q. 6., l. 6. ff. de jurisd., l. 16. ff. eod., l. 4. 3. ff. de off. ejus, cui mand. Si quid tamen Episcopus committeret Vicario extra litteras mandati, id utique pertineret ad jurisdictionem delegatam.

203. Q. V. *Quibus modis expiret jurisdictio Vicarii generalis?*

R. 1.º Revocatione, cum sit ad placitum Episcopi.—2.º Morte, vel renuntiatione Vicarii.—3.º Quotiescumque jurisdictio Episcopi a mittitur, suspenditur, vel limitatur, etiã jurisdictio Vicarii hoc modo cessat, cum eadem sit cum jurisdictione Episcopi.

204. Q. VI. *Quid juris circa Vicarium capituli, sede vacante?*

R. 1.º Intra octiduum à die vacationis cognitæ eligendus, vel prior confirmandus est, saltè si major pars capituli in eum conspiret, licet non observetur forma c. 42, de elect. præscripta pro electione Prælatorum perpetuorum. Ità de jure novo Trid. (Sess. 24. c. 16. de ref.); idque statutum est, ad evitandam confussionem et plura incommoda, quæ nasci solebant ex communi totius capituli administratione.—2.º Potestas Vicarii capituli extendit se etiã ad ea, quæ, sede plena, indigent speciali mandato, dummodo spectent ad jurisdictionem capituli; hæc enim est mens cit. Trid., nisi forsàn capitulum exciperet unam, vel alteram causam, et eam committeret speciali delegato; in quo casu nulla confusio timenda foret.—3.º Jurisdictio Vicarii capituli expirat, dum novus Episcopus confirmatus posses-

sionem adeptus est, qui etiã ab illo, et ceteris officialibus rationem administrationis exiget, cit. Trid. At capitulum Vicarium à se electum revocare non potest, nisi de consensu S. Cong. Episc. et Regg.; benè verò si Vicarius datus est à Metropolitano ob negligentiam capitularium, ut teste Barb. declaravit S. Cong., quia non in hac, sed in illa revocatione timentur incommoda secutura: Ceterum ipse Vicarius, licet et causa renuntiare possit suo officio, regulariter tamen totam suam jurisdictionem non potest committere alteri, sicut nec Vicarius Episcopi (arg. c. 4. h. t.), nisi in casibus à jure, vel Principe permissis, uti in casu infirmitatis, à simili arg. c. 4. h. t. in 6.

Vide notata Elencho II. n. 46. et lib. II. tit. 9. \*\*

### Præmonitio.

205. Pro intelligendis seqq. titulis præscienda sunt quæ traduntur in jure civili ad tit. de jurisdictione, et de officio judicis. Hic sufficiat solam terminorum explicationem asserre.

Undè I. *Jurisdictio*, à jure dicendo dicta, est potestas publica juris dicendi, seu de causis controversis judicandi, ordinata ad communem subditorum gubernationem et utilitatem, (l. 4. § 4. ff. de suspect. tutorib.), ubi vocatur *officium juris dicendi*. Differt à dominio seu jure proprietatis, quia hoc est potestas privata ordinata ad bonum privatum domini, qualiter etiã in bonum privatum ordinatur potestas patria, tutoria, magisterialis, æconomica, et hujusmodi.

II. *Jurisdictio humana* dividitur.—1.º In *Ecclesiasticam* fortè *externi* et *interni*, pro personis et causis spiritualibus, et ecclesiasticis temporalibus; et *politicam* pro causis et personis secularibus et merè temporalibus.—2.º In *voluntariam*, quæ sine estrepitu judiciali exercetur in volentes, ut est in canonicis ordinatio, collatio beneficiorum, dispensatio etc., in politicis adoptio, manumissio etc.; et in *contentiosam*, seu *coactivam*, quæ plerumque cum strepitu judiciali, aut impositione obligationis exercetur in invitos, ut leges ferre, judicare, punire etc. Contentiosa ultra territorium judicis proprium se non extendit (c. fin. de Const. in 6), cum extra territorium jus dicenti non pareatur impunè. Voluntaria regulariter ubique exerceri potest, excepto exercitio Pontificalium (c. 7. de off. leg. Trident. Sess. 6. c. 5. de ref.)—3.º In *ordinariam*, quæ ratione proprii officii competit, et plerumque ex jure descendit, ut in Episcopo etc.; et *delegatam*, quæ non ex officio, sed ex sola superioris commissione competit. Et quidem, si commissio est ad universitatem causarum, seu ad omnes causas ejusdem vel diversi generis, ut matrimoniales et beneficiales, dicitur propriè *jurisdictio mandata* (l. 4. §. 4. ff. de judic.); si verò commissio est ad unam, vel plures causas singulares, dicitur specificè *jurisdictio delegata* (l. 5. C. de jud.) licet in communi usu *jurisdictio mandata*, et *delegata* synonymicè usurpentur.—4.º In *personalem*, quæ personæ officium gerenti conceditur, ejusque ossibus inhæret, et cum ea extinguitur, seu non transit ad successores; et

*realem seu territorialem*, quæ alicui loco inhæret, ut castro, et transit ad quemcumque successorem talis loci. *Realis* affixa officio transit ad successorem officii.—5.º In *simplicem, imperium merum et mixtum*; licet Zoes simplicem negat. *Jurisdictio simplex* est potestas cognoscendi et decidendi causam absque imperio, hoc est, sine jure exequendi et coercendi inobedientes. Cùm verò potestas talis ferè inutilis et inefficax esset, rarò pura conceditur, sed semper aliquid admixtum habet de imperio et coercitione (l. *fin. ff. de off. ejus. cui mand.*); quia *jurisdictio sine modica coercitione nulla est. Imperium merum* est potestas gladii ad animadvertendum in facinorosos (l. 3. *ff. de jurisd.*), cujus tres sunt actus: mors naturalis per decapitationem etc.; mors civilis per maximam capitis diminutionem, seu servitutem, deportationem etc.; et graviores pœnæ non capitales, ut amputatio manuum, statio ad numellas etc. In foro canonico, in quo etiã datur gladius spiritualis, rectè ad imperium merum revocatur excommunicatio, depositio, degradatio, et aliæ gravissimæ pœnæ. *Imperium mixtum* est, potestas cognoscendi, decidendi et exequendi causas civiles cum modica coercitione. Quare dicatur *imperium merum et mixtum*, consule Lexicon Kahl. Zoes, et Engl. (*tit. de off. jud. n. 16.*) *Merum imperium* à practicis vocari solet *judicium sanguinis*, et *jurisdictio alta*; *mixtum* verò *jurisdictio bassa*, seu inferior. Qui autem jura reservata Principi, seu *regalia* referunt ad imperium merum, eos dicit Zoesius somniare: meliùs igitur dicitur pertinere ad *jurisdictionem altam generaliter sumptam, seu dominium altum*, vi cujus Princeps aliquid facit ex casibus publicis, ut transferendo dominia, privando juribus quæsitis etc.—5.º *Jurisdictio alia est privativa* seu *separata*, quæ ita competit uni, ut excludat alterum: sic *judicare spiritualia* competit judici ecclesiastico privativè ad laicum; *alia concurrens* seu *cumulativa*, quæ competit pluribus ut singulis, ita tamèn ut quisque in solidum possit *judicare*, nisi præveniatur ab altero; *alia communis*, quæ competit pluribus ut universis, ita ut unus sine altero procedere nequeat.

III. *Judex est persona legitima habens publicam potestatem cognoscendi et terminandi causas controversas litigantium, secundum leges et probatas consuetudines* (*pr. In. de offic. jud.*); nam totum officium *judicis* consistit in *cognitione, et decisione, seu terminatione causæ*. Differt autem *judex* ab *arbitro compromissario*, quia iste potestatem privatam habet à partibus.

IV. *Judex variè dividitur*:—1.º In *jurisdictionalem*, qui præest *jurisdictioni*, seu qui jus aut sententiam partibus dicere potest; et *notionalem*, cui sola notio, seu cognitio causæ committitur absque potestate sentiendi. Talis erant *judices pedanei*, ita dicti, quod ad pedes altioris tribunalis in inferiori subsellio assiderent; vel minoris momenti causas, non pro tribunali, sed pede plano *judicarent*. In horum locum hodiè subintrarunt *compromissarii, auditores legatorum, et similes*, qui præviè causas examinant, ut rem omnem referant ad suos principales.—2.º In *supremum*, cui competit *summa potestas in judicando*, uti est *Papa*, cujus *jurisdictio* vocatur *potestas clavium*; *Imperator, et alii summi Principes*, quorum *jurisdictio* vocatur *majestas*, seu *major potestas. Subalternum*, cui competit *jurisdictio sum-*

*mæ potestati subordinata. Ordinarium*, qui ratione proprii officii habet *jurisdictionem. Delegatum*, qui habet *jurisdictionem ex commissione*.

## TITULUS XXIX.

DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI. <sup>a</sup>

206. *Nota I.* *Delegare in genere est alteri in suum locum substituto vices suas committere. Hic autem specificè delegatio est: commissio jurisdictionis.* Undè *judex delegatus est, qui jurisdictionem exercet non vi magistratus, seu ex proprio officio, sed ex commissione juris, vel hominis ordinariam jurisdictionem habentis.* Differt à *judice ordinario*, quia iste vi sui magistratus seu officii *jurisdictionem* habet, ut *Episcopus*; à *Vicario generali*, quia iste, licet vices agat alterius, tamèn *ordinariam jurisdictionem eandem* habet cum *Episcopo*; à *mero exequutore*, quia *merum ministerium, et non jurisdictionem* habet.

*Nota II.* *Delegatum variè dividi*:—1.º In *delegatum juris*, qui ab ipso *jure* *commissionem* accipit, qualiter *Episcopus* in multis casibus *contra exemptos* procedit, ut *delegatus Sedis Apostolicæ*, *delegatione accepta à jure* (ut *Trid. Sess. 5. c. 2. Sess. 25. c. 4. de Regg. Clem. un. de Suppl. negl. etc.*); et *delegatum hominis*, qui à *judice ordinario* accipit *commissionem*, ut à *Papa, Episcopo* etc. Et quidèm, si à *supremo principe* *superiorem* non *recognoscente* *delegationem* accipiat, dicitur *delegatus Principis*; si ab alio *judice*, dicitur *delegatus inferioris*.—2.º In *delegatum specialem*, cui una vel altera causa committitur; et *delegatum universalem*, seu *ad universitatem causarum*, cui vel absolute omnes causæ, vel saltèm omnes in certo genere committuntur; ut omnes causæ *decimarum* etc. Quòd si restrictio causarum fiat ad certas personas, v. g. ad *Titium, et Cajum*, probabiliùs non est *delegatio universalis*, sed *specialis*, cùm propriè non sit *commissio generis*, utpotè restricta ad determinatas personas singulares.—3.º In *delegatum personalem*, dum commisso fit personæ, et cum personâ expirat; et *delegatum realem*, dum *jurisdictio* committitur officio, seu dignitati. Et quidèm, si *commissio* fiat sub nomine proprio, regulariter censetur *personalis*, v. g. *tibi Petre* etc.; si autèm fiat principilater sub nomine officii, censetur *realis*, v. g. *Episcopo Olomucensi committimus* etc., sive addatur nomen proprium, sive non; et hæc transit ad successorem in eodem officio.—4.º In *delegatum primò*, cui primùm ab ordinario *judice*; et *subdelegatum*, cui à primo delegato *jurisdictio* committitur.

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in *Sexto. et Clem. h. l.*—In *Decreto c. 1. et seq. d. 94. et c. igitur 25. q. 2. et can. de qua causa 2. q. 4.*—In *Trident. sess. 14. c. 5. sess. 25. c. 10. et alibi sparsim.*—In *Pandectis lib. 1. tit. 16. ubi de legatis procons. et tit. 21. et l. 2. tit. 1. lege 5. 6. 16. 17.*—In *Codice lib. 1. tit. 50. lib. 3. leg. 5. cum seq. auth. et l. fin. tit. 3. l. eod.*

207. Q. I. *Qui, et ex qua causa delegare possint?*

R. 1.<sup>o</sup> Non tantum summi, sed etiam inferiores iudices delegatum suam jurisdictionis constituere possunt. Haec textus generales (l. 5. 16. 17. ff. de jurisd. et c. 7. de off. ord. in 6.), ubi dicitur Episcopum vel per se, vel per alium, hoc est, delegatum in quolibet loco suae diocesis, posse pro tribunali sedere; nam per reg. 63. in 6. quod quis potest per se ipsum potest etiam per alium. Neque ad delegandum requiritur imperium summum, sed sufficit minus: quo sensu explicatur l. 23. ff. de jurisd. l. 42. ff. de judic. At iudex inferior sine consensu Principis non potest totam suam jurisdictionem transferre in alterum, quia haec non esset delegatio, sed abdicatio officii.—Delegatus principis, ut Imperatoris etc. potest subdelegare (c. 3. 28. et fin. h. t. et l. 5. C. de jud.), ibi: nisi à Principe iudex datus fuerit: (et l. un. C. qui pro sua jurisd.) Nam eminentia Principis, quem delegatus repraesentat, suadet et exigit potestatem hujus subdelegationis; nisi expressè electa sit industria personae propter arduitatem causae, vel restrictio ponatur: per te ipsum, personaliter etc. At contra, delegatus inferioris regulariter non potest subdelegare. Ita c. 11. et c. 62. §. fin. de appell. ibi: cum non nisi delegatus à Principe causam alii valeat delegare; ut scilicet evitetur multitudo delegationum. Excipe, nisi primus delegans id permittat, vel nisi delegatus sit ad universitatem causarum, qui aequiparatur iudici ordinario. Et hoc sensu procedit l. 42. ff. de judic. ibi: is quoque, cui mandata est jurisdictio, iudicem dare potest, ut sunt legati proconsulum. Nudum autem ministerium, seu articulus aliquis non jurisdictionalis à quo cumque delegato committi potest.

2.<sup>o</sup> Causa, ob quam delegatio fieri potest, est multitudo negotiorum, infirmitas, vel aliud impedimentum, vel alia quaecumque, etiam propria commoditas, cum circa hoc nihil praecipitur, licet ad honestatem delegationis, saltem in delegato, causa justa videatur requiri (c. 3. h. t.)

208. Q. II. *Qui constitui possint delegati?*

R. Omnes qui specialiter non prohibentur: nam edictum de delegatis est prohibitorium in materia generaliter permissa. Et quidem, praeter eos qui à natura prohibentur, ut infantes, amentes, surdi, muti, et impuberes discreto iudicio destituti,—specialiter jure positivo prohibentur infames, servi, feminae, senatu moti, excommunicati, (Can. 1. infamis 3. q. 7. l. 42. ff. de jud. c. 24. de re jud.); item aetate annorum 20 expletorum necdum pollentes. Si tamen partes consentiant in eum, qui annum 18 egressus est, vel si Princeps scienter illum constituit delegatum, valet delegatio. Ita decidit Greg. IX. (c. 41. h. t.); nam Princeps censetur cum tali dispensare. Alienus subditus potest, non tamen invitus cogitur suscipere delegationem. Quae qualitates requirantur in delegato Papae, aut Legati Pontificii, dictum est in tit. de rescript. Conditiones in delegato requisitas enumerat Host. h. t. n. 3.

*Liber, mas, gnarus, cui sit mens, integra fama.*

*Aetas, qui subsit, committitur huic bene causa.*

209. Q. III. *Quid juris, si causa pluribus sit delegata?*

R. 1.<sup>o</sup> Si commissa est pluribus simpliciter, ut universis, alter sine

altero procedere nequit; alius processus est nullus, neque convalescit, si alii deinde approbent (c. 46 et 21. h. t. et l. 39. ff. de re jud.) Nam jurisdictio residet in omnibus simul sumptis, ergo alter sine altero procedere nequit. Nec processus iste, utpotè ab initio nullus, tractu temporis per subsequentem ratihabitionem firmatur per reg. Non firmatur in 6 et l. 20. ff. de R. J.—2.<sup>o</sup> Si commissa est pluribus ut singulis in solidum, alter sine altero procedere potest, et eo casu locus est praeventioni inter delegatos (c. 8 h. t. in 6.); nec alter se immiscere potest, nisi ille, qui processum inchoavit, infirmitate vel alia causa praependiretur: ibid. Tunc autem censetur jurisdictio singulis in solidum concessa, dum Princeps rescribit sub hac forma, ut omnes, vel duo, vel unus procedat.

210. Q. IV. *Quae causae sint delegabiles?*

R. 1.<sup>o</sup> Regulariter omnes, quae ad jurisdictionem ordinariam delegantis spectant, sive in prima, sive in secunda instantia (c. 11 de offic. ordin.); licet de jure civili (auth. ad haec C. de jud.) iudex inferior ad quem appellatum est, per se ipsum cognoscere debeat de causa appellationis.

2.<sup>o</sup> Iudex Principe inferior non potest delegare alteri causas meri imperii, nisi in casu iusti impedimenti, ut absentiae, infirmitatis etc. Ita de jure civ. l. 1. pr. ff. de off. et cui mand. ubi celebrer textus Papiniani: quaecumque specialiter lege, vel Scto. vel constitutione Principum tribuuntur, mandata jurisdictione non transferuntur; sed causae meri imperii non competunt iudici inferiori vi magistratus, seu jure ordinario, sed ex speciali commissione legis, ut ibidem subdit Jetus; ergo.—At causae mixti imperii regulariter sunt delegabiles, exceptis iis, quae iudici competunt ex speciali commissione legis, ut praestare auctoritatem alienationibus minorum etc. (l. 2. ff. eod.) Haec de jure Romano, quod in multis locis mores immutaverunt, cum hodie merum imperium plerumque sit pars jurisdictionis ordinariae.

3.<sup>o</sup> Episcopus et alii praelati delegare possunt causas, quae in foro canonico dicuntur meri imperii, ut degradatio, depositio, excommunicatio etc.; nam causae istae pertinent ad ordinariam jurisdictionem Episcopi, nec ostendi potest specialis commissio juris, ergo nihil prohibet eas delegari. Imò talem delegationem clarè innuit. c. 7. de off. ord. in 6. c. 2. de off. vicar. in 6. Clem. 4. §. propter de haeret.

4.<sup>o</sup> Praelatus Papa inferior non potest laico delegare causam ecclesiasticam, etsi ei adjungat clericum, (c. 42. de foro comp. c. 2. de judic.); quia laicus, secluso privilegio Apostolico, non est capax jurisdictionis spiritalis.

211. Q. V. *Quid sit officium, et quae obligatio delegati?*

R. Licet officium et potestas frequenter in usu confundantur, in hoc tamen differunt: quod officium significet quasi actum secundum, quid iudex teneatur facere; potestas verò significet actum primum, quid facere possit. Delegatus vi officii sui tenetur:—1.<sup>o</sup> Expectare, donec sibi praesentetur mandatum delegationis (c. 42. de appell.), cum jurisdictionem non habeat, nisi ex mandato.—2.<sup>o</sup> Mandatum istud tenetur exhibere partibus litigantibus in forma authentica, vel in simili transumpto (c. 31. h. t. c. 24 de

*Rescript.*), nàm delegatio est facti contingentis, ergò probari debet: et quidè à delegato Principis per litteras authenticas, à delegato inferioris saltè per testes, *ibid.* et l. 1. *C. de mand. princip.*—3.º Diligenter observare debet fines mandati, et formam in eo præscriptam, (*c. 22 de rescr. l. 5 diligenter ff. mandat*), cùm totam jurisdictionem habeat ex mandato. In ceteris omnibus observare debet ea, quæ sunt judicis, ut admittere probationes et exceptiones justas; frivolas verò rejicere, deferre appellationi, nisi causa commissa sit cum clausula: *remota appellatione*. Quorsùm à delegato appellandum sit, dicetur *tit. de Appellat.*

212. Q. VI. *Quanta sit potestas delegati?*

R. Tanta, et non major, quàm in mandato delegationis exprimitur. Nàm delegatus vices delegantis gerit (*cap. 11. h. t.*), ergò id solum potest, quod continetur in mandato, saltè implicitè, sine quo mandata jurisdictio exerceri nequit. Undè, in specie potest ea quæ sunt judicis propria, ut partes citare, contumaces coercere, actorem ab excommunicatione absolvere, vel simpliciter, vel ad reincidentiam, spoliatum restituere, de sua competentia cognoscere, cùm jurisdictio delegantis sit certa; et alia facere, quæ ad causæ decisionem sunt necessaria, cùm hæc omnia commissa censeantur. Ità sparsum *h. t. c. 1, 4, 5, 11, 21, etc.* Deniquè delegatus Principis sententiam à se latam potest exequi, dummodò delegans executionem specialiter sibi non reservaverit. (*c. 7, 26. h. t. c. 4 de for. compet.*); nàm commissio absolutè facta includit omnia necessaria ad plenam terminationem causæ, inter quæ etiàm est potestas exequendi sententiam. Quod si delegatus Papæ non possit, vel non velit exequi sententiam à se latam, executionem ejus demandare potest ordinario judici, cùm ille sit superior in hac causa (*cit. c. 7. h. t.*)

\* Delegatus autem ab ordinario non potest suam sententiam executioni demandare, sed ipse ordinarius illam debet exequi (*cap. si quis de for. compet. ibique Gloss. v. Ipsius.*)

213. Q. VII. *An ordinarius teneatur exequi sententiam delegati Apostolici, licèt sciat esse injustam?*

R. Affirmativè, ut decisum est *c. 28. §. quia verò h. t.*; tùm quia ordinarius, utpotè merus exequutor, tenetur obedire præcepto Superioris, et cùm ei cognitio non sit permissa, non debet discutere illius sententiam, an justa vel injusta sit, (*l. 3. C. si advers. rem judic.*); tùm quia sic exequendo non peccat, sed præcisè facit id, quod ordo juris deposcit, nec alioquin res judicatæ passim discutiantur, et calumniis objiciantur; condemnatus verò sibi imputet, quod à tali sententia non appellaverit, cum pro judice stet præsumptio justitiæ.—*Excipe*, nisi sententia esset notoriè *injusta*, quia tunc cessat præsumptio justitiæ pro judice; vel *invalida* contra jus, quia tunc delegatus non mandat ut iudex. Itè si ordinarius impetravit liberationem à tali executione, (*cit. c. 28.*), vel si non est exequutor merus, sed mixtus valens cognoscere de impediendis, vel minuendis executionem. Ex his solvitur *c. 5, 7, de rescr. c. 2 de crim. fals. l. 5. 7. c. de jur. fisc. c. 44 de sent. excom.*

214. Q. VIII. *Quomodò expiret officium delegati?*

R. 1.º Revocatione delegationis legitimè insinuata delegato, (*c. 24. de rescr. l. 33. ff. de judic.*) ubi Jctus ait: *judicium solvitur vetante eo, qui judicare jusserat*, sive sit res integra, sive non integra, ut patet ex hoc textu. Delegatus autè in eo casu, quo totam suam jurisdictionem transtulit in alterum, re non integra, subdelegationem revocare nequit (*c. 37. h. t.*)—2.º Lapsu temporis præfixi, nisi partes in favorem suum præstitutum prorogarent tempus (*c. 4. et 24. h. t.*)—3.º Finito negotio, sive benè, sive malè sententia lata sit (*cap. 9. h. t. l. 9. C. quom. et quand. jud.*), quia delegatus jam functus est suo officio. Excipe delegatum ad universitatem causarum, cujus jurisdictio manet, sicut ordinaria.—4.º Pronunciatione, seu interlocutione, qua delegatus pronunciat sibi non competere jurisdictionem in hac causa: v. g. quia rescriptum est invalidum, si pars litigans ab hac sententia non appellet (*c. 38. h. t.*), quia tunc delegatus censetur functus suo officio. At si pars appellavit, delegatio non extinguitur, sed tantisper suspenditur, donè articulus appellationis finiatur (*c. 34. de præb.*)—5.º Recusatione delegati, per sententiam ab arbitris electis latam firmata (*c. 5. h. t. in 6.*) Excipiuntur tamèn in *cap. 4. h. t. in 6.* tres casus, in quibus causa suspicionis et recusationis non tractatur coràm arbitris.—6.º Morte delegati, si delegatio fuit personalis (*l. 57. ff. mandat*); realis autè delegatio facta dignitati seu officio transit ad successorem (*c. 14. h. t.*) cùm dignitas non moriatur (*cap. 5. de rescript. in 6.*) In dubio præsumenda est potius personalis, quàm realis, quia delegatio est odiosa, adeoque strictæ interpretationis.—7.º Morte delegantis, re integra, (*cap. 30. h. t. et l. 6. ff. de jurisd.*) Præter hos principales modos dantur alli leviores, quibus jurisdictio delegati expirat, ut si dati sunt plures delegati communiter, et unus eorum moriatur, vel incidat in impotentiam juris, aut facti, (*c. 42. h. t. etc.*)

215. Q. IX. *Quandò res desinat esse integra?*

R. Ut res desinat esse integra, et ità perpetuetur jurisdictio delegati, sufficit et requiritur citatio saltè in decretum citatorium redacta. Ità com. Canonist. contra quosdam legistas, qui requirunt litis contestationem.

Prob. ex *c. 20. Gratum, hoc tit.* ubi Urban. III. rescribit delegatum, citatione facta, posse et debere in causa procedere, *cùm citatione facta negotium sit captum*. Ratio est, quia ut res desinat esse integra et jurisdictio delegati perpetuetur, sufficit et requiritur saltè unicus actus intrinsicus et substantialis judicii in partes exercitus; sed citatio in decretum redacta est talis actus, ut de se patet, et habetur *c. 11. de Probat.* ibi: *videlicèt citationes*; ergò. Ista autè citatio debet esse valida, quia quod nullum est, nullum producit effectum: non tamèn necessario requiritur, ut fuerit parti præsentata, quia jurisdictio contentiosa non exercetur in præsentatione, sed confectione decreti citatorii. Actus autè anteriores, ut constitutio notarii, loci pro judicio, subdelegatio, et similes non sufficiunt ad perpetuandam jurisdictionem delegati, cùm per eos non exercentur actus aliquis substantialis judicii.

Obj. 1.º *C. 19. h. t.* requiritur litis contestatio ad perpetuandam jurisdictionem delegati.—2.º Tunc res desinit esse integra, quando judicium